



Sammeld 01

14

HISTORIAM CONTROVERSIAE
DE
MARIA DEIPARA

DISCUTIT
ET
SACRA NATALITIA
JESU CHRISTI

PIE CELEBRANDA
INDICIT
JOANNES ERNESTUS SCHUBERT
REG. ACAD. GRYPHICÆ H. T. RECTOR.

GRYPHIÆ
LITERIS RÖSENIANIS
1765.

17

HISTORIA CONSERVATA
 DE
 MARIA DEIPARA
 SACRA NATALITIA
 IESU CHRISTI
 AUCTORIS
 IOHANNIS JOHANNIS SCHNEIDER
 RECTORIS ACADEMIAE
 HALLENSENSIS





Puer Bethlehemem natus, cujus Sacra natalitia pie celebranda VOBIS commendabo, COMMILITONES OPTIMI, verus quidem sed non merus est homo. Magnifica sunt nomina, quæ de eo ante nativitatem jam prædicaverat propheta, & omnino talia, quæ de vera & æterna ejus divinitate satis testantur. *Puer, inquit, natus est nobis, filius datus est nobis, super cujus humero principatus est. Vocavit autem nomen ejus mirabilis, Consiliarius, Deus, Heros, Pater æternitatis, Princeps pacis.* Jef. IX. 6. Sed minime obscurius est testimonium recentius, quo mater ejus docebatur, Filium, quem partura esset, non merum fore hominem, sed simul Deum verum & æternum. Non poterat comprehendere castissima hæc virgo, à Deo electa, & ad Redentorem mundi in utero gerendum destinata, qua ratione sibi eventurum esset, quod Angelus prædixerat. *Inquit ergo: Spiritus Sanctus veniet super te, & virtus altissimi obumbrabit te, propterea & sanctum, quod ex te nascetur, vocabitur Filius Dei.* Luc. I. 35. Scilicet his
A 2 verbis



verbis significat, Mariam supernaturali modo per singularem divinæ omnipotentæ operationem gravidam fore, ipsum vero Dei Filium illius foetum arctissimo vinculo secum uniturum esse, sic ut Mariæ Filius propter hanc unionem futurus esset ipse Dei Filius. Quod cum animo volverent antiqui Patres, recte judicabant, Mariam dici posse *θεοτόκον*. Nam, quem pepererat, homo simul verus erat Deus. Quodsi autem personam peperit, quæ verus erat *θεάνθρωπος*, h. e. Homo & Deus simul, cur non dicatur Deipara? Hoc certe sensu veteres Mariam nomine *θεοτόκος* ornabant. Ipsam enim æternam Filii Divinitatem à Maria natam esse, nunquam ab illis creditum est. Declarabant tantum hoc nomine fidem suam, filium Mariæ non esse merum hominem, sed simul verum & altissimum Deum. Recte & fatis accurate hanc Majorum mentem explicavit JOANNES DAMASCENUS, cum scribit: *Sanciam porro virginem Dei proprie & vere genitricem prædicamus. Sicut enim verus est Deus, qui ex ipsa natus est, ita perinde Dei mater est, quæ verum Deum ex se incarnatum genuit. Deum porro ex ea natum esse dicimus, non quod Verbi Divinitas existendi principium ex ipsa traxerit, sed quia verbum ipsum, quod ante secula citra ullum tempus genitum est, ac sine exordio & sempiternè una cum Patre & Sp. S. est, in extremis diebus salutis nostræ causa in utero ipsius habitavit, & assumpta carne ex ea genitum est, sine sui demutatione. Non enim hominem purum sancta virgo genuit, sed Deum verum, non nudum, sed carne vestitum (a).*

Quæ cum ita sint, mirum videri posset, hanc loquendi rationem tantos motus in Ecclesia excitasse. Primam disputandi occasionem dedit NESTORIUS, Antiochia evocatus, & ad patriarchalem dignitatem Constantinopoli circa A. C. CCCCXXVIII, euectus. Magnum in eo erat Orthodoxiæ studium, magna dicendi vis. Sed in Scriptis antiquiorum Patrum & in formulis loquendi in Ecclesia receptis parum versatus fuisse videtur. ANASTASIUS presbyter, quem Antiochia secum duxerat, & singulari familiaritate dignabatur, pro con-

cione

(a) JO. DAMASCENUS *de Orth. Fide Lib. III. Cap. XII. Opp. Tom. I. p. 222.*



cione forte dixerat, Mariam non recte dici Θεοτόκον. Nova hac Theologia non parum offendebatur Clerus & populus CPtanus: Expectabat correctionem ab Episcopo. Sed tantum aberat, ut sententiam presbyteri sui improbasset, ut potius eam confirmaret, multisque rationibus publice demonstraret, nomen Deiparæ non esse ferendum. Inde orta est magna controversia, quæ in herba suppressi potuisset, si prudentes & moderati Theologi Nestorium de significato vocis monuissent. Sed virtutes istæ tunc temporis ignorabantur. Populus ad turbas & seditiones pronus erat, & cum se causam religionis agere credebat, nullis mediis in officio se contineri patiebatur. Clerus ingenti fastu, partium studio, & vincendi cupiditate laborabat. Utrumque suo damno experiebatur NESTORIUS. Irreverenter tractatus à plebe, indigne ac furiose impugnatus à CYRILLO ALEXANDRINO, homine quidem docto & orthodoxo, sed ambitioso, feroce, & implacabili, injuste judicatus & condemnatus à Concilio, partium studio addicto, & denique in exilium actus, quævis acerba sensit, suoque exemplo demonstravit, quantæ in cælestibus illis animis, h. e. in venerabilibus illis Ecclesiæ patribus, iræ esse potuerint (b).

Modus agendi, qui tunc adhibebatur, sine dubio erat detestabilis. Infima plebs ab infimo clero excitata surgebat contra Patriarcham, interpellabat sermones ejus in templo publice recitados, hæreticum vituperabat, indigne eum traducebat, conventus seditiosos agebat, & ad reddendam rationem vocabat eum, à quo factiosa illa turba merito judicari debuisset. Incredibili vero moderatione hæc omnia ferebat NESTORIUS vim vi repellere cum potuisset, illi tamen fere nihil opponebat, quam sententiæ suæ declarationem. Quia vero hoc nihil juvabat, magistratus auctoritatem suam interponebat, & in seditiosos

A 3

tiosos

(b) De Nestorio ejusque lapsu & fatiis vid. SOCRATES in *Hist. Eccl. Lib. VII. Cap. 32. 34.* LUDOVIGUS DOUCINUS dans l'*Hist. du Nestorianisme Paris 1698.* JO. GARNERIUS in *Præf. Tom. II. Opp. Marii Mercatoris præmissa.* GUIL. CAVEUS in *Hist. Lit. Script. Eccl. Vol. I. p. 412.* CHRIST. AUG. SALIG in *Eutychianismo ante Eutychem. Cap. XXIII. p. 203.*



tiosos severe animadvertēbat. Forte hic tumultus suppressus, & pax servata fuisset in Ecclesia, nisi CYRILLUS, PATR. ALEX. auctoritatem suam, aut potius turbulenti sui ingenii foetus, insaucto fidere, interposuisset. Is, fastu & temeritate plenus, NESTORIUM hæreseos reum agit, revocationem postulat sine prævia causæ cognitione, quæ & ad eum non pertinebat, nullas opinionis nestorianæ declarationes, quamvis æquissimas, admittit, anathematismos mittit subscribendos, ad Imperatorem, aulam, Episcopos, Monachos scribit, & totum fere Orientem contra Nestorium armare studet. Multi quidem favebant Nestorio, sed plures adhærebant Cyrillo. Huic autem negotio, qui tunc romanam sedem tenebat, COELESTINUS, sese nondum ingesserat. Forte etiam ignorabat, quid in Oriente ageretur. Interim utraque pars, verita, ne alteram juvaret, vel ex ignorantia, vel ex affectu, ad eum scribit, ipsiusque sententiam audire cupit. Pontifex ad CYRILLI partes transit, NESTORIUM damnat, & decreti sui executorem in Oriente constituit CYRILLUM. Auctis hæc ratione turbis in Ecclesia, ipse NESTORIUS desiderabat Concilium, quod paulo ante frustra desideraverat illius adversarius. Imperator Synodum indicit Ephesi habendam, ibidemque inprimis CYRILLUM, tanquam belli hujus facem & tubam, adesse jubet. Adest inter primos magna cum turba Episcoporum Aegyptiacorum aliorumque, qui omnes ab ejus nutu dependebant. Adest etiam NESTORIUS cum Candidiano, Comite, & Imperatoris Legato. Nondum vero aderat ANTIOCHENUS PATRIARCHA cum Orientalibus, quos omnino expectare oportebat, ut concilium vere esset œcumenicum. Sed CYRILLUS, probe sciens, Antiochenum pacis studiosum esse, & NESTORIO favere, Synodum inchoat, præsidium occupat, Nestorium citat, non comparentem damnat, & ut hæreticum proferibit, frustra protestantibus CANDIDIANO & NESTORIO. Adveniunt tandem Orientales. Hi cum NESTORIO & Episcopis, qui cum eo erant, in Synodum coeunt, quæ à CYRILLO peracta erant, irrita declarant, CYRILLUM ad reddendam rationem adesse jubent, & comparere nolentem damnant. In hac animorum contentione rerumque


que omnium confusione CANDIDIANUS hæc omnia ad Imperatorem perſcribit, & quid fieri vellet, ſcire cupit. Is utriusque partis legatos ad ſe mitti jubebat. Adſunt. Et præter expectationem accidit, ut Imperator CYRILLI Acta approbaret (c).

Duo præcipue ſunt, quæ in hac hiſtoria notatu digniora eſſe videntur. CYRILLUS cauſam religionis agebat, ſed minus religioſe. NESTORIUS errabat, ſed bono animo & modeſte errorem tuebatur. Facile tamen fieri potuiſſet, ut neſtoriana opinio victura, & pro Catholica declarata fuiſſet. Hæc res cauſis politicis & minime juſtis impediēbatur. Ita namque Deus Eccleſiæ ſuæ curam gerit, ut malum quandoque ferat, ſuaque ſapientia in bonum finem dirigat. Qui vero malum operantur, ipſi aliquando reddituri ſunt rationem. Nec excuſationi locus erit, ſe cauſam Dei egiſſe. Non enim tantum *bonum*, ſed etiam *bene* agendum.

Prius, quod hoc loco obſervari meretur, hoc eſt: Pontifex Romanus Cyrilli ſententiam approbabat, & Mariam Deiparam dicendam eſſe conſentiebatur, non rei veritate adactus, ſed ex aliis cauſis, & ſine dubio Neſtorii cauſam egifſet, niſi interveniſſet caſus, & genus ſcribendi à Cyrillo adhibitum magis ad palatum Pont. Rom. fuiſſet, quam Neſtorii. Antiquus mos erat curiæ romanæ, ut, qui prius adirent Pontificem, ab eo quoque jurentur. Non attendebatur cauſe juſtitia, ſed ſedis auctoritas, quæ augeri putabatur, ſi Romæ præſidium invenirent, quicumque quærerent. Multa hujus rei exempla in eodem ſeculo extant, in quod incidit controverſia neſtoriana. Sic ex. gr. ZOSIMUS CÆLESTIUM, famoſum pelagianum ab errore abſolvebat, ejuſque cauſam contra Afros defendebat, quia ad ſedem romanam provocaverat. Sic & APIARIUM, multorum ſcelerum reum, quem Epifcopi Numidiæ ab officio moverant, Pontifex reſtituere tentabat, quod ipſius auxilium imploraſſet (d). Hæc facta erant paulo ante certamina neſtoriana. Idem ergo Pon-

(c) Hiſtoriam in compendium redactam prolixius ex Actorum documentis narrat CHRIST. AUG. SALIG in *Eutyebianifmo ante Eutychem. Cap. XXIII. ſeqq. p. 200.*

(d) Vid. mea *Comment. de Jurisd. Pont. Rom. Cap. II. ſ. 28. 29. p. 66. ſeqq.*



Pontificis studium sibi polliceri poterat NESTORIUS. Nam ipsius literæ prius reddebantur CELESTINO, quam CYRILLI. Sed duæ causæ interveniebant. Primum Epistola NESTORII græce scripta erat, ideoque Romæ intelligi non poterat. Mittebatur Masfiliam, ut à CASSIANO, qui tunc solus in Occidentelinguam græcam, siquidem ipse græcus erat, calluisse videtur, in Latinum idioma verteretur. Interea CYRILLI literæ adveniunt, latine scriptæ, quæ prius Romæ legebantur, quam Nestorianæ legi poterant (e). Hæc ratione animus Pontificis præoccupatus erat, & CELESTINUS morem antiquum sequutus Cyrilli causam agere decernebat. Secundo genus scribendi, quo usus fuerat CYRILLUS, toto cælo differebat ab eo, quod adhibuerat NESTORIUS. Hic posterior suæ dignitatis sibi conscius ad Pont. Rom. scribit, ut frater ad fratrem. *Fraternas, inquit, nobis invicem debemus colloquutiones.* Neque hæc dissidia Orientalium se narrare, ait, ut de iis sententiam ferat, sed tantum ut sciat, quid rerum geratur (f). CYRILLUS vero, qui stylum curiæ romanæ artesque politicas melius intelligebat, Pontificem ut Patrem & judicem veneratur. Moris esse, inquit, ut cuncta ad sedem romanam referantur, illiusque sententia audiatur, nec se ausum fuisse, Nestorium inconsulto Pontifice damnare vel excludere. Hoc erat loquendi genus, quod mirifice placebat Pontifici, & quod totum in Cyrilli partes traxisset, etiamsi causa fuisset injustissima. Scriptores Pontificii de hac secundæ sedis Episcopi submissione & reverentia, aut potius turpissima adulatione hodie adhuc gloriantur, & haud obscure significant, quibus rationibus Pontifex motus fuerit, ut Cyrillo faveret, Nestorium autem persequeretur (g)

Alterum, quod causæ NESTORII nocebat, erat mutatus Imperatoris animus. Ille NESTORIUM diligebat, & in magno honore habebat, CYRILLUM vero ut hominem ferocem & seditiosum

(e) Vid. BARONIUS in *Annal. ad A. C. 430. num. I.* & ipse CELESTINUS in *litteris ad Nestorium apud Baron. loc. cit. num. 7. 8.*

(f) Epistola Nestoril extat in *Act. Conv. Ephesini apud HARDUINUM Tom. I. p. 1307.*

(g) Vid. NATALIS ALEXANDER in *Hist. Eccl. Sec. V. Cap. III. Art. XII. §. 2. p. 66.*



tiosum oderat. Hinc & ab initio certaminis illius conatus legibus & minis compefcere tentabat. Idem Imperatori animus adhuc erat, cum legati utriusque partis Chalcedonem venirent. Benevole & humaniter audiebat eos, qui Nestorii causam agebant, & ad Cyrilli opiniones, quas illi exponebant, corroborabat. Sed ecce ingentem, & inexpectatam rerum catastrophem. Imperator Constantinopolin abit, Episcopus Cyrillianos secum ducit, Nestorianos Chalcedone relinquit, illisque veniam largitur, ad suas sedes redeundi, Cpli novum Episcopum ordinari jubet, & Acta Cyrillianæ Synodi approbat. Causæ hujus mutationis non commemorantur à Scriptoribus. Cyrilliani dicebant, Imperatorem meliora edoctum esse. Nestoriani autem cuncta ad impias artes Cyrilli referebant, qui Aulicos & forte ipsum quoque Imperatorem corrupisset, quod non improbabili videbatur illis, qui sacram auri famem & Cyrilli animum norant. Quicquid horum sit, fateri tamen oportet, parum abuisse, quin Nestorii opinio publice approbata fuisset.

Opinionem vero NESTORII quod attinet, jam audivimus, eum ferre noluisse locutionem, Mariam esse Θεοτόκον. In magnam hæresin hoc ipsi vertebatur ab inimicis, contendentibus, hac ratione veram & substantialem Christi divinitatem negari. Sed ab hoc errore tantum abfuit Nestorius, ut potius fidem nicænam contra Arianos conservandi causa sibi negandum duceret, Mariam esse Deiparam. Hoc enim nomine si compellatur, verendum esse putabat, ne Divinitas Christi, quæ initium haberet, quæ nata esset, quæ incrementa cepisset, etc. h. e. nulla ab Orthodoxis credi videretur. Vanus erat metus, sed ratione illorum temporum facile excusandus. Vocabula enim abstractiva & concretiva tunc nondum satis distincta erant. DEUS & DIVINITAS fere promiscue usurpabantur. Hinc facile fieri poterat, ut qui Mariam DEUM peperisse diceret, ipsam DIVINITATEM à Maria natam statuere crederetur. CYRILLUS quidem in suis Anathematismis magna circumspectione usus est, ne abstractum cum concreto confunderetur, & si ejusmodi declarationes prius extitissent, vocabulum Deipara Nestorium

B

storium forte non offendisset. Interea tamen hæc circumspēctio non impediēbat, quo minus Eutychniani, qui postea divinitati tribuebant, quod de Filio Dei vi unionis personalis recte prædicabatur, Cyrillum suæ doctrinæ auctorem esse crederent. Testatur hoc de inveterato more, Deum & Divinitatem non satis accurate discernendi, quod tamen in Articulo de persona Christi valde necessarium est. Nestorius ergo orthodoxiæ studio excitatus nomen Deiparæ impugnabat. Novi quidem, varios errores ipsi imputatos esse, veluti *duas in Christo esse personas, quemadmodum dicitur in eo essent naturæ, non dari unionem personalem, sed divinitatem in humanitate eo tantum modo habitare, quo habitaret in fidelibus, & per hanc inhabitationem humanitati ingentia dona collata esse, quibus adorari & religiose coli mereretur.* Et si Mariam esse Θεοτόκον, sano & orthodoxo sensu negasset, istæ consequentiæ non forent injustæ. Sed qui ejus scripta sine partium studio legit, & mentem auctoris serio scrutatur (h), is facile animadvertet, Nestorium veram Christi divinitatem, naturarum unionem, & personæ unitatem credidisse, & tantum negasse, Mariam ipsius Divinitatis matrem esse, quod nomen Θεοτόκος significare ipsi videbatur. Quamvis autem animus Nestorii ab errore absolvi possit, minime tamen ferenda erat loquendi ratio, quam Orthodoxi recte impugnabant. Scilicet hoc in negotio, quemadmodum in multis aliis, æquitas postulat, ut errorem DOCTRINÆ ab errore PERSONÆ distinguamus. *Mariam non esse Deiparam*, salva veritate theologica dici non potest, licet Nestorius id sano sensu diceret. Nam si non foret Deipara, ille, quem peperit, non foret verus & æternus Deus. Equid enim aliud hæc locutio sibi vult, quam personam, quam peperit, verum esse Deum? Si autem non est Deus, aut Christus plane non est Deus, aut alius est Christus, qui Deus, & alius, qui homo est. Priori casu Divinitas Redemptoris

(h) Scripta ejus collegit MARIUS MERCATOR, Sec. V. Scriptor, cujus Opera JOANNES GARNERIUS Paris. 1673. & STEPH. BALUZIUS Paris. 1684. edidit. Nonnulla tamen eorum extant quoque in Actis Conc. Ephes.

toris nostri, posteriori hypostatica naturarum unio negaretur (i).

Ex his vero declarationibus quamvis constet, Mariam omnino dicendam esse Deiparam, minime tamen illis totam hanc controversiam discussam & veluti exhaustam esse credamus. Cuncta enim redeunt ad propositionem: *Filius Mariæ & Filius Dei.* Atque hæc duplici modo in falsum sensum trahi potest. Nam primo Filius Mariæ, secundum humanitatem & ut homo consideratus, certo sensu dici potest filius Dei, quemadmodum & fideles filii Dei appellantur. Secundo filius Dei poni potest pro filio hominis, propter utriusque ad se invicem relationem, sic ut hæc propositio, Filius Mariæ est Filius Dei, ita intelligenda foret, ac si diceretur: Filius Mariæ est Filius Mariæ. Et de utroque magna animorum contentione disputatum est in Ecclesia.

Priori controversiæ circa finem Sec. VIII. occasionem dedit FELIX Urgelitanus & ELIPANDUS Toletanus Episcopus. Hic posterior prioris exquisivit sententiam de quæstione: *Num Christus secundum carnem Filius Dei naturalis, an vero adoptivus dicendus sit?* Respondebat FELIX, eum hoc respectu dicendum esse Filium Dei adoptivum. Incidit hæc Felicis Epistola ad Elipandum in manus quorundam hominum, qui hac opinione virus nestorianum contineri putabant. Motibus ergo hac de re excitatis tandem perventum est ad judicia synodalia. Auctoritate CAROLI M. Concilium habebatur Forojulense, Ratisbonense, & Francofurtanum. Et ab omnibus illis damnata est sententia Felicis. Inprimis autem HADRIANUS P. R. horribili anathemate Felicem ejusque sectatores percussit, inter alia inquit: *Perpetuo eos anathematis vinculo religatos, ultrici cum sequacibus suis iudicamus vindicta plebendos, ac per hoc & à gremio matris Ecclesiæ & à nostro consortio definitio alienos* (k). Mirum profecto, in tanta

B 2

ta

(i) De Controversia hac nestoriana conf. mer INST. THEOL. POLEM. *Part. II. Cap. I. Sect. III. §. 2. seqq.* & Tr. germ. *de Jesu Christo Redemptore Part. II. Cap. II. §. 103. seqq.*

(k) Hujus Controversiæ, quæ tunc totum Occidentem movebat, ex antiquioribus mentionem faciunt ALBINUS FLACCUS ALGUINUS, JONAS Episc. Arel. STRABUS Fuldenfis, ADO Viennensis, REGINO Præmonis.



ta testium nube errorem FELICIS à Scriptoribus non infimæ auctoritatis, veluti PLATINA, ALPHONSO à CASTRO, & aliis ignoratum esse, qui putarunt, Felicem fuisse Iconomachum, & propter hanc opinionem damnatum esse in Conc. Francofurt. Sed magis adhuc miramur, integrum aliquod Concilium, & quidem recentiore ætate hunc errorem errare potuisse. Est hoc Concilium Senonense A. C. MDXXVIII. habitum, in cuius Decretis Cap. XIV. circa finem legimus: *Et Carolus ille cognomento Magnus, Francorum Rex christianissimus, Francofordiensi conventu ejusdem erroris suppresserit insaniam, (loquitur autem de Iconomachia,) quam infelicissimus quidam Felix in Gallias & Germaniam invexerat. Quisquis igitur de Christi & sanctorum imaginibus aliter senserit, is Christo & sanctis injurius cum Waldensibus pestiferam hæreseos labem se noverit incurrisse* (l). Fluxisse hæc ignorantia videtur ex duarum rerum confusione, de quibus actum est in Conc. Francof. Nam & Opinio Felicis discussa, & cultus Imaginum, ab Orientalibus assertus, improbat, minime vero, ut illi sentiunt, approbatus est (m). Quod utrumque cum in Conc. Francof. actum esse per famam constaret, & Pontificii, quos Libri Carolini tunc temporis adhuc latebant, sibi persuaderent, Iconomachiam ab hac Synodo damnatam esse, opinio illa obtinuit, Felicem ob cultum imaginum ab ipso impugnatum anathemate notatum esse (n). Sed redeamus ad sententiam, de qua nunc agitur. FELIX & ELIPANDUS sine dubio loquebantur de humana Christi natura in se

fix, HERMANNUS Contractus, LAMBERTUS Schafnab. CONRADUS à LICHTENAU, & alii, quorum narrationes collegit B. JO. GE. DORSCHÆUS in *Coll. ad Conc. Francof. Sect. I. Cap. I. p. 5. seqq.* Totam Controversiam prolixè discussit B. GE. CALIXTUS in *sing. Progr. de hac Quæstione*, quod extat in *Fasc. Progr. & Dissp. de Persona Christi à Filio FRIDERICO ULRICO CALIXTO 1663. collecto & edito p. 66 seq.*

(l) Vid. Acta Conv. Senon. Cap. XIV. apud HARDUINUM *Concil. Tom. IX. p. 1945.*

(m) Testantur hoc inter alia LIBRI CAROLINI à JO. FILIO A. C. MDXLIX editi, quos CHRIST. AUG. HEUMANNUS A. C. MDCCXXXI recudi curavit.

(n) Id ex parte jam monuit GAB. VASQUEZ in *III Thome Dissp. 102. cap. 3.*

se spectata, non habita ratione unionis cum divinitate. Et hoc respectu quærebant, num Christus secundum carnem dici possit filius Dei naturalis, an adoptivus? Supponebant, cum, secundum divinam naturam, esse filium Dei naturalem seu unigenitum, cum quoque, ut hominem consideratum, filium Dei dici posse. Sed scire volebant, num hoc posteriore respectu sit filius Dei naturalis, an adoptivus? Quæstio magis erat curiosa, quam utilis, multisque disputationibus & contentionibus ansam præbebat. Nam si Christus, ut Deus, est filius Dei naturalis, & ut homo filius ejus adoptivus, duo statuendi sunt filii Dei, alter naturalis, alter adoptivus. Perinde quidem fuisset, ac si statueretur, Christum esse Deum & Hominem, esse filium Dei & filium Mariæ. Sed incommoda erat loquendi ratio, quæ multis persuadere poterat, duos statui Christos, duos filios Dei. Qui tempore Felicis vivebant Theologi, ipsius sententiam ita interpretabantur, quod aut veram Christi divinitatem cum Arianis, aut unionem personalem cum Nestorianis tolleret. Colligo hoc inter alia ex argumento, quod PAULINUS AQUILEJENSIS Felici opponebat. *Hæc igitur dicentes, inquit, aut in utero Virginis eum suspicantur adoptatum, quod dici nefas est, quin de beata Virgine invenerabiliter sumpsit, non adoptavit carnem, aut certe purum eum hominem sine Deo natum, quod cogitare impium est, necesse est fateantur* (o). Ex mea sententia, certo quidem & sano sensu Christus secundum carnem dici potest *Filius Dei adoptivus*, si hoc vocabulum nude & simpliciter opponitur Filio Dei unigenito, h. e. naturali aut a Patre ab æterno genito. Nam si Christus secundum carnem recte dicitur filius Davidis, Rom. I. 3. & si hic filius Davidis, quatenus talis est, filius Dei appellari potest, licet non ut filius Davidis aut Mariæ a Patre ab æterno genitus sit, Jo. X. 34. 35. 36. cur non hoc respectu dicatur filius Dei adoptivus. Atqui hac benignitate in interpretando utendum fuisset cum Felice & Eliando. Sed alio sensu omnino nefas est dicere, Christum secundum

B 3

(o) Vid. PAULINUS AQUILEJENSIS *adv. Felicem Urgel. & Elipandum Toler.* num. 8. Legitur hoc scriptum in App. ad Libros Carolinos à Filio editos.



cundum carnem esse filium Dei adoptivum. Nam CHRISTUS SECUNDUM CARNEM ponitur etiam pro CHRISTO HOMINE seu FILIO MARIÆ. Inde oritur propositio: *Filius Mariæ est filius Dei*. Hæc propositio est *personalis*, in cuius prædicato non potest intelligi *filius Dei adoptivus*. Nam si ita intelligeretur, caderet unio personalis, nec tunc amplius Maria dici posset Deipara. Nec ita Angelus intelligendus est, cum ad Mariam dicit: *Sanctum, quod ex te nascetur, vocabitur filius Dei*. Filium namque Dei ὁμοεισιν, h. e. a Patre genitum, & hinc naturalem intellexit. Cum itaque Filius Mariæ dicendus sit Filius Dei naturalis & unigenitus, idem valet de propositione: *Christus secundum carnem est filius Dei* (p). Et hanc ob causam merito laudandum est studium Caroli M. & Conciliorum illius temporis, quo cavere voluerunt, ne veteres hæses recrudescerent, nec novis loquendi formulis antiqua veritas obscuraretur.

Majus periculum veritati imminere videtur ab hypothesi, quam cooptarunt veteres Reformati, & qua *propositiones personales* convertuntur in *identicas & improprias*. Cum enim *Filius Mariæ appellatur Filius Dei*, putant, subjectum poni pro concreto totius personæ, quod est *Christus*. Et quoniam Christus non tantum est Homo, sed etiam Deus, concludunt, Christum in ejusmodi propositionibus intelligendum esse secundum eam naturam, quæ per prædicatum significatur. Hinc propositionem: *Filius Mariæ est Filius Dei*; primum convertunt in hanc: *Christus est Filius Dei*; Et hanc propositionem rursus in hanc: *Filius Dei est Filius Dei*: Quæ est identica, & quatenus prima sic intelligitur, impropria (q). Hæc est illa ἀλλοιωσις ZWINGLIJ, contra quam Theologi nostri magno studio olim disputarunt. Recentiores huic quidem Majorum opinioni in-
hærent,

(p) Vid. B. JO. GERHARDUS in *Exeg. Loc. IV. Cap. IX. §. 167. p. 466.*
JO. CONR. DANHAUER in *Christosoph. Sect. I. Art. III. §. 27. p. 67. & meus Tr. germ. de Jesu Christo Redemptore Part. II. Cap. III. §. 141. seq. p. 180. seqq.*

(q) Vid. CONSENSUS ORTHODOXUS *Cap. VII. p. 297.* THEOD. BEZA in *Coll. Mompelg. p. 366.*


hærent, propositiones personales improprie intelligendas esse, fed eam aliter explicant. Scilicet non ita eas intelligi volunt, quod una natura in alteram mutata, aut cum ea communicata sit, sed potius respectu unionis duarum naturarum eas accipiendas esse contendunt, quatenus Filius Dei naturam humanam assumpfisset, & Filius Hominis cum Divinitate unitus esset (r). At vero nec nos ipsi eas aliter interpretamur. Nam cum Filius Mariæ Filius Dei esse dicitur, sensus est, eum ipsum hominem, qui natus est ex Maria Virgine, non tantum hominem, sed & verum Deum esse, aut, personam istam, quam peperit Maria, & quam verum hominem esse constaret, esse supremum & essentialium Deum (s). Sed hæc interpretatio propositiones personales non reddit improprias. Impropria enim propositio est, cum aut subiectum, aut prædicatum non retinet significatum suum proprium, qui tamen in personalibus secundum nostram interpretationem omnino retinetur. Sua quoque his propositionibus constat veritas certissima. Nam Christus est una persona, quæ simul Deus & Homo, Filius Dei & Filius Mariæ est. Idem ergo, qui est Deus, est etiam Homo. Et idem, qui est Homo, est Deus. Et quid aliud sibi volunt propositiones: Deus est Homo, & Homo est Deus? Quodsi autem hæc ita sese habeant, Maria utique dicenda est Deipara. Peperit enim hominem, qui simul est verus Deus. Secus si res sese haberet, h. e. si propositiones istæ improprie intelligendæ forent, quemadmodum putarunt antiquiores Reformati, Maria nullo modo dici posset Θεοτόκος. Nam si hæc propositio, Homo est Deus, ita intelligi deberet, Homo est Homo, aut, Deus est Deus, quomodo Deum peperisse dici posset?

Non inanes & vanæ sunt speculationes, quas Vobis proposui, Commilitones Optimi, sed summa fidei mysteria, quæ

Chri-

(r) Vid. DAN. WYTTENBACH in *Tent. Theol. Dogm. Loc. VIII. §. 891. Sch. 1. p. 707.*

(s) Vid. B. MART. CHEMNITIUS in *Lib. de Duabus Christi Naturis Cap. V. p. 25.* JO. GERHARDUS in *Exeg. Lib. IV. de Persona Christi Cap. IX. §. 456. p. 461. seq.* JO. MUSEUS in *Prælect. in Form. Conc. Ayr. VIII. Th. X. p. 252. it. Tr. meus germ. de Jesu Christo Redent. Part. II. Cap. III. §. 139. p. 175. seqq.*



Christianum nosse oportet. Quid enim diligentius nobis scrutandum est, quam persona illa, cui Redemptionis beneficium debemus? Certe, qui ignorat, quisnam sit ille, qui satisfactionem pro nobis præstitit, veramque & perfectam justitiam nobis comparavit, is de ipso Redemptionis opere recte sentire non potest. Simplicioribus quidem nosse sufficit, nobis unum esse Dominum Jesum Christum, qui Deus & Homo simul est. Sed qui veritatum cœlestium nexus, earumque rationes & fundamenta accuratius perspicere cupiunt, in ipsum quoque hypostaticæ unionis mysterium penetrent, quantum id a Deo nobis revelatum est. Infinitum enim *ἀπέρον* pro animabus nostris solutum esse, nemo firmiter tenere aut contra veritatis hostes solide adstruere potest, nisi sciat, humanitatem cum divinitate ita unitam esse, ut Deus & Homo sit una persona, ut Maria non merum hominem, sed ipsum Deum pepererit, ut infinita Dei attributa communicata sint cum Humanitate, &c. Ideo etiam in S. literis extant propositiones personales, quæ testantur, Deum esse Hominem, & Hominem esse Deum. Ideo extant propositiones idiomaticæ, quæ docent, ea, quæ sunt Dei, facta esse hominis. Num hæc ideo scripta sunt, ut tantum verba & syllabas teneamus? Nonne istæ prædicationes quemcunque lectorem excitant, ut, quæ sibi nuncientur mysteria, omni studio consideret? Agite ergo, Commilitones, & huic salutari Vobisque dignissimo scrutinio festivos dies impendite, quos Vobis significamus. Agnoscite summam ejus Majestatem, qui in salutem nostram natus est. Eumque illi honorem deferte, qui summo rerum Creatori & Domino debetur. Hæc enim est voluntas Patris vestri, inquit Salvator noster, ut omnes honorent Filium, quemadmodum honorent Patrem. P. P. D. XXIV. Decemb. A. R. S.

CIS IO CCLXV.



P. P.

SUB SIGILLO UNIVERSITATIS.

68802

ULB Halle

3

002 625 814



58

AB 68802







Farbkarte #13

B.I.G.

HISTORIAM CONTROVERSIAE
DE
MARIA DEIPARA

DISCUTIT
ET
SACRA NATALITIA
JESU CHRISTI
PIE CELEBRANDA
INDICIT
JOANNES ERNESTUS SCHUBERT
REG. ACAD. GRYPHICÆ H. T. RECTOR.

GRYPHIÆ
LITERIS RÖSENIANIS
1765.

14

